



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Corpus Doctrinæ Christianæ**

**Melanchthon, Philipp**

**Lipsiæ, 1572**

**VD16 M 2890**

Admonitio Ad Lectores.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36094**

# ADMONITIO AD LECTORES.

ORVM Scriptorum, quae complectuntur  
orthodoxi & Catholicorum dogmatis Christiani veram &  
puram doctrinam, uno libro collectorum, hoc tempo-  
re editionis non minimam caussam dederunt, quorun-  
dam tranquillitati & quieti inimicorum columnæ &  
falsæ criminationes, quibus Principis Electi, Saxonis  
ditioni subjectarum regionum Saxoniarum & Misnicarum Ecclesi-  
am grauiter insectantur, & hominum odia concirant aduersus mul-  
tos innocentes, & varie animos hominum diuersis in locis pertur-  
bant, cum ingente dolore piorum ac bonorum, & gaudio aduersario-  
rum, quorum contumacia hoc pacto corroboratur, ex quo tam dissi-  
dia ingrauescunt, quam cumulantur absurdâ atque prava.

Hæc peruersitas manifesta est, in cuiusdam Flacij Illyrici, &  
Galli, maledicis & contumeliosis scriptis, nec non aliorum quorun-  
dam illis adhaerentium, & augmentum distractionem. His iam longo  
tempore hoc unum curæ & propositum est, ut harum regionum Ec-  
clesiasticam doctrinam & ceremonias culpant, repudient, & prorsus  
condemnent: cum mendacia eorum evidenter sint, neque quicquam  
reprehensionem mereantur, ipsique audacissime arripiant omnes in-  
dicatarum Ecclesiarum doctrinam insectandi occasionses. Quamvis  
alia doctrina hæc non sit, nisi ea quam ipsi quoque profidentur, nimi-  
rum Confessionis oblatæ Maiestati Cæsareæ Anno Christi 1530. Au-  
gustæ, vbi & palam lecta, & postea una cum Apologia publicata est.  
Cui sunt omnia deinde addita scripta quocunque tempore consen-  
tanea, neque Ecclesia harum regionum ab hac vñquam discesserunt,  
imo constantissime eam retinuerunt & defenderunt, Deo propitio  
adiuante, durissimis difficilissimisque & periculisissimis temporibus,  
& benignitate eiusdem Dei, perpetuo in hoc sunt perseverantæ,  
quicquid vocerentur & latrent, dissipationum autores & pacis ho-  
stes, Deo ad illorum furores adhuc connivent, est enim μαρτύριον,  
qui tamen aliquando etiam iusta iræ debitam severitatem exerce-  
bit, cum ipsis erga plurimos bonos & piros, præbuerint se crudelissi-  
mos atque sauisimos, cum cupiditate maioris insolentia, quæ sane  
efficax esse posset, si admitterentur infilatrices & delationes & ca-  
lumniæ ipsorum.

Sed bona spes est, clementissimum Deum patrem Domini &  
saluatoris nostri Iesu Christi, qui est veritas æterna & princeps pa-  
cis, oppositorum se improbitatis istius vestigie, eamque repressum  
esse, accensa luce in cordibus eorum, qui ipsis nugatoribus hactenus  
addicti fuerunt, ut perspiciant & cognoscant veritatem, animaduer-  
tentem

A D M O N I T I O

entes quid ad rem pertineat, vel ipsam potius rem negotiumque considerantes, & necessaria distinguentes, à non necessarijs, & certa ab incertis, & futilia ac leuia à grauibus atque prudentibus tam dictis quam factis, vt hoc modo nihil queratur, neque experatur aliud, nisi Dei æterni honor, laus & gloria, & Ecclesiæ virtutis commodaq; & incrementum, & reipublicæ felicitas.

Cum isto mirabilium hominum generе agi nihil potest, qui suo arbitrio damnant quilibet, neque personis auditis, neque dijudicatis rebus. Cogunt concilia, quando & vbi ipsi placet, atque vendicant sibi malorem magisque intolerabilem & minus excusabilem autoritatem ac potestatem, quam Papa Romanus vñquam. Quæ quo tandem euasura videantur, cogitetur. Cum autem incidet ætas nostra in tempora mundi extrema, de quorum eventis extant admonitiones redemptoris & salvatoris nostri, & Apostolorum ipsius, restat ut sibi videat vñusquisque, & vitet interitum.

Harum Ecclesiarum, quæ sunt in regionibus Principis Electoris Saxoniz, doctrina neque dubia neque varia aut mobilis est, sed ab initio, sincera, concors & constans conseruata, & usurpata annis iam triginta, penitus consentanea confessioni Augustana per omnes partes. Itaque omnes, qui inferunt crimen his regionibus defectionis, aut erroris voluntarij consultique & perucacis, ij iniuriam faciunt Ecclesijs violentam ad Deum & homines: coram quibus etiam aliquando respondere cogentur, de excitatis turbis & impedita quiete, & turbantes Ecclesiam portabunt onus suum.

Quapropter prospiciat sibi quisque, ne temeraria condemnatione innocentum, se se impliceat, & particeps fiat huius tanti peccati. Dei benignitate, exculatio Ecclesij harum regionum nulla in parte deest, cum bona conscientia parochinio. Et sunt antehac editæ expositiones veræ, admonitionesque opportunaæ, & disputationes his de rebus seriæ & graves. Et nunc, ne quid omittatur, Summa Doctrinæ supra memorataæ, simul emittitur in lucem, ad fructuosum usum tam Ecclesiarum in his regionibus, quam externarum: neque tamen non etiam hanç ob causam, quemadmodum dictum est, ut omnes qui oculos habent & aures, videndo & audiendo percipere possint, quid quo modo in harum regionum Ecclesijs ab initio apparentis benignitate diuina luminis, æternæ & cœlestis veritatis, in hunc usque diem doceatur, & in qua doctrina constanter perseveretur. Neque quisquam demonstrare vñquam poterit, hæc aliter se habere, aut veram sanamque & puram doctrinam Euangelij, in minimo uspiam esse corruptam.

Quæ cum ita sint, æquum fuerat, Flacium & Gallum & alios quosdam, non indulgere animo, ut tam horribilium scandalorum auto-

A D L E C T O R E S .

autores existentes , zelum prætexentes , & alijs coloribus pingentes facinora audacia . Quod si permissoне diuina , licentia ista temeritatis diuturnior esse forte debeat . In hunc scilicet euentum omnes sibi videre & salutaria monita admittere poterunt , qui veritatem amant , & absunt à leuitate , cupida contentionum atq; rixarum & distractio- num infinitarum , attentes diligenter & cauentes insidias eorum , qui ambitione incitati , p̄ se ceteris in existimatione aliqua esse af- fectant , neq; alia tamen via huc contendunt , quam temeraria obre- statione , & infectione aliorum , & comminiscendo nouas , & mon- strosas , & obscuras absurditates rixarum καὶ λογοπαχίων . Qui specie oppugnandi errores , non patuos simplicium & proborum animos in fraudem induxerunt , & periculum est , ne inducant plures .

S i igitur aliter fieri nequit , relinquatur pétulantia mundi in Ecclesiasticis & ciuilibus rebus curiosa atq; peruicax , vesaniae op- nionum ipsius , ut festinet ad exitium . Interea autem par est , vt p̄ij & amantes veritatem , intendant oculos in lucem verbi Dei , & patere si- nant aures soli voci Pastoris sui Domini Iesu Christi , fugientes incul- cationes alienas & abhorrentes & intricatas atq; mirificas , & respu- entes non necessaria certamina ac lites . Et implorantes solum & uni- cum carissimum Dominum & protectorem suum , vera fide & roto pectore in his tristissimis arumnis , includant se aliquantisper in cu- biculo sui penetralia , secundum Prophetam , donec transeat indigna- tio .

D E U S æternus pater Domini & saluatoris nostri Iesu Christi , propter hunc ipsum impertire rursum dignetur Spiritum sanctum Ecclesiaz suaz copiose , ut hæc aucta multitudine in pace & coniunctio- ne precari , Deum inuocare , religiose laudare , celebrare , gra-

tias ipsi agere possit , in omni religiosa & pacifica ca-

ritatis & amoris affectione . Cui vni , vero ,

æterno , omnipotenti , sancto , forti , im-

mortalii , misericordi Deo sit

laus , gloria , victoria in

secula infinita .

Amen .

S Y M B O -